



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

2. Dies Januarii. Ecce nova facio omnia. Apoc. 21. 5. Cum anno novo,  
Partus Hominis novi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

ar.  
pe-  
neo  
Pri-  
core  
esus  
illi  
næ-  
illi,  
po-  
abo  
um,  
nis.  
nia.  
a est  
  
ulos  
Sæ-  
i in  
arma  
um.  
ræ-  
fors  
anta-  
em-  
em-  
eris  
or-  
der-  
dis,  
ræ-  
um  
(d)

Januar.

Tessera.

3

teritum Pudor', ad præsens Dolor , ad futurum Ti-  
mor, cogitando quid fuisti, es , eris.

*Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore:*

*Nam simul omne perit, quod fuit, est, & erit.*

## 2. DIES JANUARII.

*Ecce nova facio omnia. Apoc. 21. 5.*

*Cum anno novo, Partus Hominis novi.*

Cum no- I.  
vo anno  
nova om-  
nia facien-  
da.

**N**OYUS, quem heri fuimus au-  
spicati , annus , nova omnia  
exigit in omnibus. Nova o-  
pera, nova desideria , novas  
cogitationes , novos pro salute conatus, novos pro  
cœlo labores, nova pro æternitate studia : nova con-  
tra hostes nostros prælia. Nunc adhortatur nos  
Deus, voce Ezechielis, sub exordium novi Annis  
(a) *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Nunc  
per totum orbem latè resonat argentea illa Spiritus  
sancti tuba (sic Paulum appellat D. Chrysostomus)  
adhortans ut olim Ephesios, sic omnes ubique terra-  
rum diffusos Catholicos: (b) *Induite novum hominem.*  
Imò vult, ut quilibet sit in Christo, (c) *Nova Crea-  
tura.* Denique sic debent esse cum hoc novo anno,  
omnia nova , ut quisque dicere possit , quod Agnus  
ille Apocalypticus è suo throno : (d) *Ecce nova facio  
omnia.* Quia omnia quæ priùs faciebam, erant opera

A 2

veteris

(a) *Ezech. 18. 31.* (b) *Eph. 4. 24.* (c) *2. Cor. 5. 17.*

(d) *Apoc. 21. §.*

veteris hominis, Adami: sed omnia, quæ nunc facio,  
sunt opera novi hominis, Christi.

II. Sed quid est, quod oriente anno novo, debent omnia esse nova? Quæris causam? Ea non est una. Quia fortè hoc anno multa tibi evenient, quæ hactenus nunquam evenerunt, nec putabas posse evenire, nova. Nunquid tibi foret novum, hoc anno audire vocem illam hucusque tibi inauditam:  
 (a) *Dispone domini tua, quia morieris tu, & non vives?*  
 Hoc forsan anno lectus tibi erit, non ut prius è molli ansere, sed è duro assere; vestis, sindon sepulchralis; pulvinar capitinis, manipulus straminis; dominus, cœca telluris specus; crines, vermes; pulchritudo, putredo, odor, fætor. Forsan ante finem hujus anni, corpus tuum nunc vegetum, paulò pòst rigidum, & frigidum circumscribetur angustiis contractæ sandapilæ, & à vespilonibus triste funus per vicos, mœstum sonante ære campano, effereris; pone sequentibus pullo amictu vicinis, & consanguineis: postea ponetur super feretrum, inde ad tumulum; ubi passis funibus demittetur in tenebriocosum, &olidum terræ antrum, quo tumultuarii cespitibus tecto, eodem in tumulo, altâ oblivione sepelietur memoriatui, quo cadaver tuum.

III. Hæc omnia si tibi, quæ aliquando, hoc ipso acciderent anno, nunquid essent tibi prorsus inexpectata, atque adeò penitus nova? Quod si Dei beneficio, velut è speculâ, certò tibi eventura hæc omnia nova prævideres, nonne tibi jam seriò, ne postea forsarius, tibi provideres? Itaque jam nunc

(a) *Isai. 38.1.*

Januar.

Tessera.

5

nunc sic vitam ordire novam; ac si certò hic annus tibi foret novissimus. Si sit novissimus, ô quod tibi erit gaudium audienti: (a) *Novissima hora est.* Dum respiciens, videbis tantum bonorum operum acervum, meritorum cumulum, incrementum gratiæ, & tot gradus gloriæ. Nunc igitur toto animo erigere, magnoque ausu, ac pari conatu, novam auspicare vitam, ne tunc velis rectè vivere, dum desinendum est vivere. Stas forsitan ut in anni limine, sic & in vitæ limite. Ne fidas corpori, quia robustum, non viribus, quia firmæ, non ætati, quia florida. Totum tuum vivere, levi morbo concidit, tuque te prius ad æternitatem miraberis abreptum, quem metuebas abripiendum. Sæpè enim ægrotare incipimus, & mori: intra partem unius horæ, sani, ægri, vivi, mortui. Non facile peribis, si quovis die seriò caves, ne pereas. Cùm igitur sit jam annus novus, esto tu homo novus: & dic cum D. Thoma.

*Recedant vetera,  
Novas int omnia,  
Corda, voces, & opera.*

(a) L. Joan. 2.18.

\*\*\*

\* \*

A 3

III. DIES